



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CXVI. Der Bischof von Brandenburg, Heidenreich, und von Meißen, Withego, verbinden sich zu gemeinschaftlicher Abwehr von Anfeindungen durch Bann und dergleichen, am 8. Jan. 1288.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

ricus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, tenore presentium notum facimus tam presentibus quam futuris, quod remedio anime nostre salubriter intendentes advocatiam ville Mertzane ad nos pleno jure nullo medio pertinentem dilectis dominis nostris, preposito, priori et capitulo dicte nostre Brandenburgensis ecclesie liberaliter dedimus et legavimus, nomine testamenti, ad eosdem perpetuo pertinentiam, nichil omnino juris nobis in eadem aliquo modo reservantes. Ne igitur hec nostra donatio per nos vel quemquam successorum nostrorum in posterum valeat irritari, presentibus, de certa nostre conscientia conscriptis, sigillum nostrum in testimonium duximus apponendum. Datum Brandenburg, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXX<sup>o</sup>. VII<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>. nonas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Originale.

**CXV. Der Bischof Heidenreich vereinigt die Kirche zu Plessow als Filial mit der zu Plösin, im Jahre 1287.**

Heydenricus, dei gratia episcopus Brandenburgensis, omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in domino sempiternam. Ne ea, que aguntur in tempore, simul labantur cum tempore, consuevit ea verenda antiquitas scripti memorie commendare. Hinc est, quod ad communem notitiam hominum cupimus pervenire, quod nos usi consilio peritorum et de consensu capituli Brandenburgensis ecclesiam Plesowe, que quondam de villa Stargesere, nunc destructa, extitit filia subjecimus et adunivimus ecclesie in Plotzin, et is, qui pro tempore plebanus in predicta villa Plotzin extiterit, sepedictam ecclesiam in Plesowe tanquam filiam officari per se vel per alium procurabit. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. Datum Brandenburg, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXVII<sup>o</sup>, pontificatus nostri anno primo.

Nach der Copie im Copiarie.

**CXVI. Der Bischof von Brandenburg, Heidenreich, und von Meissen, Withego, verbinden sich zu gemeinschaftlicher Abwehr von Anfeindungen durch Bann und dergleichen, am 8. Jan. 1288.**

Venerabili in Christo patri ac domino, Heidenrico episcopo, Thiderico preposito, Conrado priori totique capitulo ecclesie Brandenburgensis Withego, dei gratia episcopus, Bernardus prepositus, Sifridus decanus totumque capitulum Misnensis ecclesie, subscriptorum omnium perpetuam firmitatem: Multorum bonorum persepe torpet neglecta commoditas eo, quod ad restaurationem commoditatis hujusmodi nullius invigilavit intentio, nullius animus insudarit sed processu temporis ad hoc aliquo sine mentis aciem dirigente, ipsa restauratur commoditas et restaurata suis cooperatoribus pacis et quietis tribuit incrementum. Hinc est, quod cum, pluribus tractatibus habitis, jam simus evidenter experti, et tam vobis quam nobis consultum et utile videatur, ut propter frequentes predonum, raptorum et malefactorum insultus et turbationes, quas quotidie patiuntur ecclesie eedem, aliquo saltem et mutue subventionis ac confederationis remedio subvenirent, sane credimus,

si funiculus ecclesiastice censure fuerit triplicatus, efficacius feret auxilium contra perverforum violentias et conatus et clerus tali suffultus presidio, dante domino, liberius respirabit. Cum igitur inter alia juris remedia precipuum et magis efficax videatur, ut excommunicationum seu interdictorum sententie late per vos et episcopos vestros, qui pro tempore fuerint, a nobis et nostris successoribus strictius observentur et publicentur, quandocunque et ubicunque fuerit oportuna, dum tamen a vobis super hiis fuerimus requisiti, nos Withego episcopus, Bernardus prepositus, Sifridus decanus totumque capitulum Misnensis ecclesie nos et nostram ecclesiam presentibus obligamus firmiter, ut ea, que premissa sunt et pro nobis statuta in consilio Maguntinensi vel Magdeburgensi, inviolabiliter observemus. Hoc recognoscimus et presentibus literis protestamur, quas sigillorum nostrorum impressione roborandas duximus in testimonium premissorum. Hanc vero obligationem per decem annos continuos decrevimus duraturam. Datum Misne, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXXVIII. sexto idus Januarii, pontificatus nostri anno XXII.

Nach einer Copie im alten Copialbuche.

**CXVII.** Die Markgrafen Otto und Konrad verkaufen der Kirche in Riezow eine Hufe Landes mit einem Hause und schenken ihr die Schäfereigerechtigkeit, am 29. Juni 1289.

— Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandenburgenses — de communi consensu fratrum ac heredum nostrorum omnium ecclesie in Rizzow unum mansum situm in villa Rizzow, cum una area, que ad predictum mansum pertinere dinoscitur cum hereditate et proprietate ejusdem mansi et aree et cum omni juris integritate donavimus proprietatis ac hereditatis titulo quiete et pacifice perpetuis temporibus possidendos, eo modo quod iste mansus et area coadunabuntur aliis duobus mansis prius jam dicte ecclesie adjacentibus, per quos ecclesia est dotata sic, quod dos ecclesie erit de cetero et jure priorum mansorum in nullo destituentur sed in omnibus similes eis erunt, abrenunciantes universo juri, quod nos hactenus habuimus tam in manso quam area supradictis ita quod nichil juris, nichil profus proprietatis nobis vendicabimus de cetero in eisdem. Provide dedit nobis ecclesia Brandenburgensis et persolvit decem marcas argenti Stendaliensis et ponderis ejusdem. Ceterum rectori predictae ecclesie in Rizzow, qui pro tempore fuerit a preposito sive capitulo Brandenburgensi institutus, pie indulgimus, ut possit habere pastorem et gregem ovium divilium ab ovibus aliorum et sine contradictione qualibet rusticorum. Ut igitur hec nostra donatio etc. testibus adhibitis valde bonis: ut domino Conrado de Redere, domino Henrico de Wardenberge dapifero, domino Bertoldo pincerna, Hinrico advocato dicto de Segesere, Godekino de Aldenhufen, et aliis pluribus fide dignis. Acta sunt hec in antiqua Brandenburg. Anno domini M. CC<sup>o</sup>. LXXXVIII. in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, et data per manum domini Alwardi curie nostre notarii.

Nach dem Originale.